

2. — La vie de perfection dans un Institut séculier exige une préparation et une formation.

La tradition ecclésiastique témoigne qu'à tous les siècles cette préparation et formation a été jugée nécessaire pour entrer dans les états de perfection. Parce qu'ils vivent dans le monde, cette formation semble encore nécessaire aux membres des Instituts séculiers. Les membres laïques de ces Instituts en ont besoin plus que tous autres. La générosité ardente et le dynamisme conquérant de la jeunesse ne sauraient en dispenser personne, car ces dons s'usent et disparaissent.

Il semble désirable que cette formation comporte la séparation du monde pendant un certain temps: Jésus sépara ses apôtres et les prit avec lui avant de leur confier la mission d'apostolat.

Cette formation faite pour la vie séculière, sera débarrassée des petites contraintes extérieures nécessaires à la vie régulière claustrale.

Elle sera orientée vers la pratique des vertus et l'union à Dieu, mais elle comportera une préparation professionnelle et technique pour assurer l'accomplissement parfait des devoirs de la profession.

3. Pour assumer la pratique de la perfection et l'accomplissement de la mission d'apostolat dans le monde, il est nécessaire que:

— la Règle soit simple, souple et forte; simple pour ne pas encombrer la vie dans le monde; souple pour laisser la liberté nécessaire à cette vie dans le monde; forte pour sauvegarder l'essentiel contre toutes les difficultés extérieures.

— des reprises ou retraites dans la solitude permettent au membre de l'Institut séculier, de reprendre une conscience claire de ses devoirs et de retrouver le contact avec ses Supérieurs.

4. — Dans l'exercice de l'apostolat, le membre de l'Institut ne cherchera pas à se signaler en allant aux formés les plus extraordinaires ou les plus périlleuses d'apostolat. Certes il les utilisera quand ce sera nécessaire, mais son rôle essentiel est de rester dans la masse commune et d'agir comme la lumière qui brille dans les ténèbres, comme le levain dans la pâte. Son apostolat doit donc être habituellement silencieux, caché pour être profond et efficace selon les désirs de l'Eglise.

ARGUMENTUM 2: *Constitutio, formae diversae, institutio, regimen, apostolatus, Institutorum saecularium.*

120 Orator - R. SAC. ALVARUS DEL PORTILLO, PROC. Gen. Operis Dei.

1. Hoc in Congressu de statibus perfectionis, opus est mihi de illo loqui, qui noviter a Romano Pontifice, in Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia », recognitus ac iuridice ordinatus fuit, et in quo, revera, accommodata renovatio vel, melius, nova ratio vitae perfectionis acquirendae invenitur.

Necesse non est de momento vere historico praefatae Constitutionis Apostolicae fuse agere, cum onnes compertum habeant in novis Saecularibus Institutis inveniri magnum subsidium pro catholico apostolatu et viam apertam tot tantisque animabus, quae vocationem non habent ut saeculum derelinquant, sed in quibus divina ardet flamma sese omnino Deo consecrandi et, dum christianam perfectionem adipisci conantur, traditione perpetua ceteris animabus se mancipant, ut eas suaviter et efficaciter ad Ecclesiam trahant.

Agitur ergo de statu iuridico, qui vitam ordinat animarum in Deo absconditarum, quae Ipsi in perfecto holocausto se obtulerunt, quae imitari volunt fecundam Dei et Domini Nostri absconditam vitam, in hoc antiquo et novo penetrationis apostolatu: antiquo, prout antiquus est apostolatus christianorum primaevae Ecclesiae, et quia, in ipso, facile invenitur essentia et ratio agendi in SS. Evangeliiis descripta; sed novo etiam, et quidem novis Ecclesiae et mundi necessitatibus apprime respondentem.

Sed, dum de magno momento Institutorum Saecularium agimus, necessario videtur obsequium et reverentiam praestare Ordinibus, religiosis Congregationibus Societatibusque vitae communis, in quibus tantum datur status *canonicus* perfectionis acquirendae, quae tanta proelia pro Dei gloria proeliata sunt et semper maiore vi proeliabuntur, quaeque pretiosas et fulgidas Ecclesiae gemmas constituunt. Instituta omnia Saecularia desiderant — licet hoc proprio peculiarique spiritu facere nitantur, et sane ad instar religiosorum minime degant vel operentur, — vestigia veneranda semperque laudanda religiosorum prosequi. Proprio quidem spiritu, cui novus et proprius ordo internus novaque agendi ratio respondent, quia sodales Institutorum Saecularium religiosi non sunt, sed, etsi Deo sacri, saeculares, communes saeculares, sive clerici sive laici, qui externe in omnibus uti saeculares sese exhibent, qui habitum religiosum non deferunt, qui vitam communem canonicam non ducunt, qui contemptum saeculi — hoc, ut patet, sensu non theologico dico — haud habent, quia *in ipso saeculo* et, prout Constitutio Apostolica « Provida Mater Ecclesia » dicit, *ex ipso saeculo* cum ceteris saecularibus laborare debent, propriam atque alienam prosequendo sanctitudinem. Et cum saeculares sint, saeculares diligunt: et quia Deo omnino consecrati et traditi, religiosos et venerantur et amant, sic quasi coetum medium constituentes inter unum et alterum coetum, religiosorum nempe et communium fidelium, ita ut cum membris Institutorum Saecularium magis compactus et harmonice completus appareat exercitus Ecclesiae viatorum.

Cum Institutis Saecularibus, igitur, clauditur cyclus statuum perfectionis, et exercitus Ecclesiae militantis sese exhibet prout diximus, harmonice completus:

in eo necessarius est duplex militum coetus, a religiosis nempe et a fidelibus compositus; sed ille praeterea necessarius est, a sodalibus Institutorum Saecularium constitutus: sodales qui non sunt religiosi cum externis apparentiis saecularibus, nec saeculares qui religiosorum externam vitam imitantur, sed saeculares vero et stricto sensu verbi.

2. Valde opportunum est, cum res ita se habeant, ad maiorem uberioremque apostolatus penetrationis efficaciam, ut discretio quaedam in fere omnibus Institutis servetur, quoad sodales, quoad opera et relate ad domos in quibus sodales in communi commorentur.

Ad hanc servandam discretionem tenentur etiam, iuxta responsionem a S. C. de Religiosis die 24 iulii 1947 editam, Ordinarii locorum aliique Superiores ecclesiastici, erga illos omnes qui ius non habeant ad illa opera, illosque sodales, etc., noscendos. In praefata responsione praescribitur Ordinariis locorum aliisque ecclesiasticis Superioribus obligatio non solum discretionem, sed etiam secretum servandi circa ea omnia, de quibus supra.

Omnino necessarium etiam est ut Status civiles seu diversae nationes non videant, non respiciant membra Institutorum Saecularium quasi religiosi essent, quia, tunc, amplius de facto non existeret illa tertia pars, efficacia plena, exercitus Ecclesiae: nec desiderati fructus, quos Romanus Pontifex in laudata Constitutione Apostolica, Magna Institutorum Saecularium Charta, sibi proposuit, ad praxim reducerentur.

Sed ut Status civiles cum sodalibus novorum Institutorum sic agant, valde optandum est ut, in primis, haec omnia, cum omnibus suis consecratis, ab ecclesiasticis viris et mulieribus bene intelligantur. Sic, verbi gratia, tituli quibus religiosi designantur numquam eis attribui debent, sed illi potius quae saecularibus loci, ubi commorentur, conveniant; idem generatim dicendum est de domoribus, ubi membra Institutorum vitam communem ducunt, designatione, et ita porro.

Sodalium Institutorum Saecularium Deo consecratio, licet ab Ecclesia recognita et probata, nec publica est nec, coram fidelibus, publicos effectus obtinere debet: et hoc ab omnibus, potissimum vero ab ecclesiasticis, servandum est quando, quacumque ratione, cum membris vel operibus Institutorum Saecularium agunt, quia illorum Ecclesiae consecratio, prout diximus, non est canonica — licet sit iuridica — sed potius ascetica videtur atque, in ambitu uniuscuiusque Instituti, socialis. Sed haec agendi ratio — non tribuendi, nempe, publicos effectus consecrationi atque iuridicae conditioni sodalium Institutorum Saecularium — praecipue servari debet, quia, si servata non fuerit, fructus apostolatus non ita uberes erunt.

1. Discrimina inter Instituta Saecularia et Religiones, Societates vitae communis et communes fidelium Associationes.

1. Ut melius pateat necessitas, quae a novis Institutis Saecularibus persentitur, peculiarem propriamque iuridicam ordinationem habendi, discrimen accurate perpendendum est in-

ter ea et Religiones atque Societates vitae communis intercedens, congruoque examini subiiciendae sunt differentiae inter illa et communes fidelium Associationes existentes.

Instituta Saecularia nec Religiones sunt, nec religiosorum vel sodalium Societatum vitae communis vivendi rationem imitantur, licet etiam ex animabus Deo sacris Instituta Saecularia constent. Et hoc, ut omnibus patet, iam a primis articulis Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », Romanus Pontifex statutum voluit, et in Litteris *Motu proprio* sub nomine « Primo feliciter » datis, ne ullum dubium remaneret, confirmavit.

Sane, Legislator, Articulo II.º Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », decrevit: « Instituta Saecularia, cum nec tria publica religionis vota admittant, nec communem vitam seu commorationem sub eodem tecto suis membris, ad normam canonum, imponant, iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones vel Societates vitae communis ». Ad hanc normam, quae negativo modo Instituta a Religionibus et Societatibus vitae communis bene distinguit aliam adiunxit, quae etiam negativa ratione eandem differentiam statuit, nempe: « Instituta Saecularia Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiari iure non obligantur, neque ipso uti possunt ». In paragrapho altera praefati Articuli, denique, Legislator positive definit quatenus esse debeat lex propria Institutorum Saecularium quatenus ipsa aliquid a Religionibus et Societatibus distinctum constituent.

2. Sed in Articulo I. Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia » dicitur: « Societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis acquirendae atque apostolatum exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, ut ab aliis fidelium communibus Associationibus apte distinguantur... ».

Notanda sunt verba a Legislatore usitata, nempe: « Ut ab aliis fidelium communibus Associationibus apte distinguantur ». Instituta Saecularia, igitur, inter fidelium communes Associationes poni debent, et merito quidem, quia non religiosa, sed saecularia sunt, et proinde aliquid commune cum ipsis fidelium Associationibus habent, uti est illorum character saecularis, in *Motu proprio* « Primo feliciter » fuse definitus.

Instituta Saecularia, proinde, speciem aliquam constituunt in genere Associationum saecularium: sed species ita qualificata ut fere a proprio genere recedat, iuxta antiquam regulam iuris: « generi per speciem derogatur »; et, hac ratione, ad Religiones et Societates vitae communis, quoad substantiam, proxime accedunt.

3. Ex his generalibus praemissis, statim deduci potest quod duplex cardo, supra quem solide et sapienter Statutum generale Institutorum Saecularium fundatur, secum fert duos aspectus, duplicem Institutorum quasi naturam demonstrantes: aspectus qui Institutorum corpus horumque anima, analogice, dici possunt:

a) Societates hae, in quantum Instituta « saecularia », ad genus et « corpus » Associationum laicalium pertinent.

Ea de causa, Documenta pontificia ad Instituta Saecularia pertinentia colligunt, determinant et simul subnotant, prout mirum in modum faciunt, tractus illos, quos praefatis Institutis character eorum saecularis confert, ad ipsorum nempe physiognomiam, ut ita dicam, alto apteque figendam; et agunt praesertim de professione consiliorum evangelicorum in saeculo. Haec professio consiliorum evangelicorum in saeculo est nota characteristicam, qua Instituta Saecularia a *statibus canonicis* perfectionis acquirendae, id est, a Religionibus et Societatibus vitae communis, differunt, et ex qua inter Societates fidelium generice computantur. Sane, status canonicus perfectionis, in quo tantum habetur publica et canonica professio perfectionis, supponit et requirit *separationem a saeculo*.

b) *Prout autem Societates hae Instituta sunt « perfectionis et apostolatus »*, ita totalitariae et organicae sunt, ut reapse constituent verum statum perfectionis iuridicum et completum, quamvis non canonicum, tractus habentem et necessitates quae, « ad animam » quod spectat, id est, ad formam internam consecrationis, similem statui canonico perfectionis illum efficiunt.

2. Characteres consecrationis et rationis vitae in Institutis Saecularibus.

1. His positis, iam accedendum est ad argumentum nobis propositum, et, primo loco, ad vinculum iuridicum quo membra Institutorum Saecularium se obligant ad perfectionem. In eo, prout in omnibus, quae ad huiusmodi Instituta competunt, duo congrue pleneque subnotanda sunt, nempe: sodalium Deo, aliorum animabus vitaeque perfectae, prout haec hominibus viatoribus est assequenda, deditio; et character saecularis qui, in ipsa deditioe et in agendi ratione membrorum Institutorum Saecularium, omnibus praest, et qui in omnibus elucere oportet.

Hinc, vincula iuridica existere debent, in quibus status acquirendae perfectionis consistat, et quae fundamentum constituent ordinis interni Institutorum: sed vincula haec esse nequeunt ad instar illorum, quibus membra Religionum inter se et cum ipsis Religionibus ligantur, ut vota publica et sub eodem tecto commoratio; nec esse valent ad illius normam, quod in Societatibus vitae communis habetur, nempe, obligatio vitae communis materialiter ductae ad instar religiosorum. Omnino enim nitendum est ut in Saecularibus Institutis praefata vincula iuridica clericis saecularibus et laicis non religiosis magis conveniant et aptentur.

2. De his omnibus sermo fit in tribus primis articulis Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia ». Vincula quae ad perfectionem acquirendam sese referunt, cum publica ad normam iuris esse non valeant, sunt vota privata — licet ab Ecclesia recognita et ordinata, — vel, pro oboedientia et paupertate, ius iurandum aut promissiones, quae in conscientia pro materiae gravitate obligent.

Haud pauca Instituta Saecularia habent vota, omnia tria

vota communia, sed haec vota non sunt publica, nempe ab Ecclesia recepta (c. 1308, 1), et ab ipsa in Codice ordinata, nec ipsa esse possent, nam, speciatim quoad votum paupertatis, praescripta quaedam canonica (cc. 569, 580, 583) nequeunt complete aptari, nec ulla adest ea his aptandi commodi ratio. Quae quidem canonica praescripta, possunt merito substitui aliis magis, ut ita dicam, elasticis, quae non minus ad sanctificationem conferant.

Ecclesia igitur vota Institutorum Saecularium non recipit, prout nec vota Societatum vitae communis recipit, quae in hoc cum Institutis Saecularibus conveniunt (c. 673, § 1). Ecclesia attamen non ignorat, nec in foro quidem externo, vota tum in Societatibus vitae communis, cum in Institutis Saecularibus nuncupata. Vota haec, etiamsi publica non sint sensu specifico votorum publicorum (i. e., quae ab Ecclesia recipiuntur et ab ipsa in iure publico et interno magis solemniter ordinantur), non sunt tamen vota stricte privata, quae ad forum tantum internum pertinent — ab Ecclesia in foro externo ignorata —, et quorum curam Sacra Paenitentiarum habeat. Possunt merito appellari vota *privata recognita* et quidem duplici sensu: quia Ecclesia ea approbat sicut accidit, analogia quadam, in matrimonio, et ponit ea ut fundamentum Societatum canonicarum ab Ecclesia in variis gradibus agnitarum; et, praeterea, quia ipsa Ecclesia ea vincula dirigit, tum iure communi, cum etiam iure particulari; denique, haec vota effectus producant iuridicos, sive *relate ad Ecclesiam*, quia statum perfectionis completum emittentibus donant, sive *quoad Societatem vel Institutum* in quo emittuntur e. g., quoad incorporationem, quoad subiectionem Superioribus horumque potestati quoad monitiones et dimissiones, quoad iura in Societate vel Instituto habenda, magis vel minus participanda.

3. Instituta pariter Saecularia nec sunt nec esse possunt sub iure communi, nec illis convenit ut qua Religiones aut Societates vitae communis perpendantur vel existimentur, propter vitam *communem materialiter sumptam* seu « commorationem sub eodem tecto », quae in diversis Institutis plus minusve impense ducitur. Etenim, Instituta huiusmodi non possunt habere vitam communem publicam et canonicam, id est generalem pro omnibus sodalibus, ad normam Codicis ordinatam, quin a sua specifica missione, sanctitatis nempe et apostolatus *in saeculo*, deficiant.

Regulae clausurae, etenim, exitus, et omnes ceterae normae et condiciones, quas hunc in finem — ut vita communis canonica iure existat —, domus ad hanc vitam communem destinatae habere debent, illis obstaculo procul dubio essent. Possunt quidem Instituta Saecularia — prout de facto, sicut diximus, in pluribus ex ipsis accidit — domus habere, in quibus quidam vel etiam omnes sodales simul vivant, sed agitur semper de vita communi non canonica, scilicet non ex canonibus normisque iuris communis religiosi accipienda et interpretanda, sed unice ad normam propriarum Constitutionum et iuris particularis sumenda. Haec vita communis Institutorum Saecularium neque ligatur praescriptis Codicis neque ipsis respondet.

3. Professio perfectionis.

1. Accurate notanda sunt quae a Legislatore in Article III Legis peculiaris Institutorum Saecularium relate ad consilia evangelica praescribuntur.

Ut aliqua nempe pia fidelium Consociatio erectionem in Institutum Saeculare consequi valeat, haec quoad vitae consecrationem et christianae perfectionis professionem, praeter alia communia, habeat necesse est requisita:

Sodales, qui ut membra strictiore sensu sumpta Institutis adscribi cupiunt — postea de membris lato sensu nuncupatis agendum est, — praeter illa pietatis et abnegationis exercitia, quibus omnes qui ad perfectionem vitae christianae aspirant, incumbant necesse est, ad ipsam peculiaribus etiam rationibus, prout infra, efficaciter tendere debent:

a) Professione coram Deo facta coelibatus et castitatis perfectae, quae voto, iuramento, consecratione in conscientia obliganti, ad normam Constitutionem, firmatur;

b) Oboedientiae voto vel promissione, ita ut stabili vinculo ligati totos Deo et caritatis seu apostolatus operibus se dedicerent, et in omnibus sub manu et ductu semper moraliter sint Superiorum, ad normam Constitutionum;

c) Paupertatis voto vel promissione, vi cuius bonorum temporalium usum non liberum habeant, sed definitum ac limitatum, ad normam Constitutionum.

2. Evidenter ex ipsis patet professionem perfectionis integram esse atque completam, quoad consilium evangelicum castitatis, quia praescribuntur coelibatus et perfecta castitas, et quidem voto vel iuramento aut consecratione in conscientia obligante, firmata: professio igitur castitatis, ad quam sodales cum promissione tantummodo se obligarent, omnino excluditur.

3. Idem dici potest de oboedientia, quia sodales se totos Deo et apostolatu consecrant, ita ut in omnibus sub manu et ductu Superiorum semper moraliter sint. Et dicitur *moraliter*, quia non semper Institutum Saecularium membra proprios Superiores vicinos habent. Sed formatio ipsis sodalibus imperita, et cautelae seu industriae in Constitutionibus et Directoriis praescriptae tales esse debent, ut sodales omnes se ducere semper possint, et debeant, ac si Superiores apud se haberent, atque ad ipsorum propriique Instituti mentem constanter operentur. Non agitur nec agi potest de oboedientia iuxta modum, seu quomodolibet ad praxim deducta, sed de exercitio pleno constantique huius consilii evangelici, quia membra Institutum Saecularium perfectionem evangelicam non iuxta modum, sed completam profitentur.

Aliquibus in Institutis, sodales propriam retinent actionem professionalem aut socialem, quae magnum occupat eorum vitae tempus. Hoc in casu, praxis oboedientiae peculiare et quidem haud parvum momentum habet relate ad ea

omnia, quae ad ipsam professionalem actionem sodalium, sive privatam, sive praesertim publicis in muneribus exercendam, sese referunt. Difficultates enim non parvae oriri possunt, potissimum in casu in quo, ob perspicuas causas, sodales professionalis secretum, etiam coram Superioribus, servare debent. Sed difficultates huiusmodi facile evanescent iuxta normas, quas S. Congregatio de Religiosis in revisione et correctione Constitutionum Institutum Saecularium imponit. Semper, praeterea, licet in exercitio professionis sodales gaudere debeant libertate — et idem dicam quoad eorum laborem in Actione Catholica, etc. —, exercitium ipsum professionis seu publici muneris prohiberi aut impediri valet sodalibus cum rerum adiuncta id suadeant ob plus minusve graves rationes, sive relate ad sodalis animam, sive utilitate Ecclesiae bene perspecta. In quodam Instituto, sodales, iuxta propriarum Constitutionum normas, servatoque secreto praevalet, sese consulere debent cum Superioribus etiam in professionalis actione: postea tamen libere semper, ex regula, agere possunt, quapropter nullo modo, ob petitum consilium, respondendi obligationem ad ipsos Superiores transferre unquam valeant.

4. Ad paupertatem quod attinet, Constitutio Apostolica limitat, ad normam uniuscuiusque Instituti Constitutionum, usum bonorum temporalium. Nec aliter esse posset, quia sodales saepe apud se commorari debent, omnibus in adiunctis semetipsos exhibentes ut saeculares. Sed in Institutis hucusque probatis, vel quibus venia concessa a Sancta Sede fuit ut ab Ordinariis locorum uti talia erigerentur, experientia comperit est non difficile, sed facilius quam quod videretur omnia ita ordinari posse ut sodales, licet privatim et seiuncti vitam degant, paupertatis virtutem colant atque in praxim deducant. Hac ratione, sodales possunt in quam maxime diversis rerum adiunctis, eodem tempore, vitam saecularem simul ducere et deliciis paupertatis, etiam strictae et austerissimae, gaudere.

Quoad bonorum autem proprietatem, nihil commune omnibus Institutis Saecularibus imponitur; neque de attributione bonorum, quae propria industria sodales acquirunt, agitur, cum de ipsis Constitutiones singulorum Institutum normas diversas statuere valeant.

Ope severae prohibitionis rerum, quae supersint; sincerae redditionis rationum oeconomicarum, accepti nempe atque impensi; obligationis veniam actualem, vel, iuxta casus, habitualem petendi ad expensas faciendas; ordinatae dispositionis usus et ususfructus atque administrationis, consilium evangelicum paupertatis valet solide ac severe in praxim deduci, prout re vera deducitur, in Institutis Saecularibus.

Ut sodales facilius ac impensius semetipsos exercitare possint in praxi paupertatis, hanc virtutem semper in mente et in corde ferendo, multum confert bene et explicitie in Institutis singulis determinare quid ob obligationem, paupertatis vinculo connexam, quid vero ob ipsius virtutis amorem servari debeat. Hoc utile videtur ut sodales non solum vinculum, quo cum Instituto ligantur sed etiam virtutem paupertatis perfecte colere valeant: atque hac ratione melius vitari possunt conscientiae anxietates quae, in exercitio paupertatis, facilius dari queunt inter sodales nondum congrue formatos Institutum Saecularium, quam inter religiosos, cum illi saepe apud semetipsos degant, hi e contra paupertatem profiteantur a vita communi regulatam.

5. Tum pro oboedientia cum pro paupertate, ne de castitate loquar, vinculum obligat iuxta materiae gravitatem, ita

ut non detur vinculum, in Institutis Saecularibus, quod tantummodo sub levi obliget. Omnis transgressio est gravis in genere suo. Et non solum: iuxta responsionem a Sacra Congregatione de Religiosis die 19 maii anni 1949 editam, oboedientiae et paupertatis promissiones obligare possunt, ad normam Constitutionum, sed etiam vi virtutis religionis.

Praefata responsio sic sonat:

« 1. — Obligationes quae a membris stricto sensu sumptis (Art. III, 2 et 3) in Saecularibus Institutis ad statum iuridicum perfectionis completum amplectendum contrahuntur (Art. III, 2) ut fini atque naturae Institutorum respondeant, leves ex genere suo atque ex omni parte esse non possunt.

2. — E contra, vincula quibus hic perfectionis status innititur ita obligare in conscientia censentur, ut obligationes quas inducunt *ex genere suo* graves dicendae sint.

3. — In casibus singulis obligatio gravis tunc tantum habenda est, quando ipsius materia ad normam Constitutionum et circa paria vel similia vincula communi doctrina certo gravis reputari debeat. Et quia iuxta notam regulam iuris (Reg. 30 in VI) « *in obscuris minimum est sequendum* », gravis seu gravior obligatio — puta ex formali religionis virtute orta seu confirmata — in casu dubii affirmanda non est.

4. — Quenam sit natura vinculorum quae in singulis Institutis assumuntur et definitio rationis qua ipsa obligant — an scilicet praeterquam ex iustitia atque ex fidelitate, etiam, et quomodo, ex religione teneant — eruendum est ex Constitutionibus, quae rem accurate describere debent, necnon ex formula consecrationis seu incorporationis in qua ipsa exprimuntur.

5. — Etiam quando certa sit formalis ex virtute religionis obligatio, cum agatur de votis seu vinculis quae, etsi adaequate privata non sint, tamen ex regula nec sensu stricto atque specifico publica dici valeant nec publicam personae consecrationem inducant, ipsorum violationi sacrilegii malitia non est tribuenda ».

6. Brevitatis causa, hic obiter tantum subnotare volumus Legem peculiarem Institutorum Saecularium illud *minimum* definire, quoad consiliorum evangelicorum exercitium, quod necessario inveniri debet in omnibus et singulis Institutis Saecularibus; et pariter, peculiarem agendi et essendi rationem, Legem hanc statuere. Lex peculiaris, proinde, in Articulo III definit normas cardinales, quae regulant vitam consecrationis; et praescribit formam vitae externae, cui sodales Institutorum satis facere debent. Haec forma vitae externae est, ut ita dicam, sicut corpus: normae illae, autem, pro vita consecrata ducenda, sicut anima. Vel, alio modo, forma vitae externae est ad modum recipientis, aurum, argentum vel aliud maioris aut minoris valoris continentis, scilicet, vitam plus minusve consecratam, sed semper, ut minimum, iuxta Legis peculiari praescripta Deo traditam: nihil tamen prohibet quominus illo in corpore, vel illo in recipiente recipiantur normae vitae, leges peculiare, spiritus multaue alia, — anima: seu aurum, argentum, thesaurus, de quibus diximus — ita ut in Instituto Saeculari sic effecto *minimum* vitae consecrationis, de quo loquebamur, necnon ratio vitae a Lege peculiari descripta,

adsint quidem — et praeterea de Instituto Saeculari agitur —; sed in eo, minimo illo a longe superato, vita acquirendae perfectionis solidior ac profundior forsitan habeatur, quam illam quae in aliis religiosis institutionibus continetur.

4. Membrorum classes.

1. In praefato Articulo III Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », sermo fit de sodalibus qui « ut membra strictiore sensu sumpta Institutis adscribi cupiunt ». Adsunt proinde membra *strictiore sensu sumpta*: quod clare innuit ad membra quae *stricto sensu* nuncupari nequeant, nec sint, sed tantum *lato vel latiore sensu* Institutis adscribuntur. Constitutio Apostolica agit solummodo de primis, scilicet, de membris stricto sensu sumptis. Illi omnes sodales qui condiciones omnes in laudata Constitutione recensitas non habent, in altera sodalium categoria adnumerantur, licet saepe ad primam proximè accedant.

Notandum tamen non esse hic verbum de membris illis, qui vitam materialiter communem non ducunt in Institutis, in quibus haec ratio vitae ad normam propriarum Constitutionum imponitur, sed de illis tantum qui, prout diximus, condiciones omnes a « Provida Mater Ecclesia » praescriptas ut status iuridicus completus perfectionis recognoscatur, non habent. Hoc in casu, vita communis iuridice nihil addit.

2. Et, quia in Apostolica Constitutione definitur *minimum* consecrationis et vinculi, evidens est singula Instituta libera esse imponendi alias peculiare minimas condiciones, severiores illis in « Provida Mater Ecclesia » recensitis, ut sodales effici valeant membra strictiore sensu sumpta. Et ita, possibile est, et revera in aliquo Instituto sic accidit, ut sodales, qui in aliis Institutis Saecularibus uti membra « stricto sensu » recipi possunt — ducunt enim vitam plene consecratam, ad normam C. A. « Provida Mater Ecclesia » —, in alio tamen Instituto hanc rationem, membrorum nempe stricto sensu, attingere nequeant, quin hac de causa in completo statu perfectionis considerari non valeant.

Nihil tamen vetat quominus membra ex una ad aliam sodalium rationem transire possint, sive ad severiorem vocationem prosequendam, sive etiam ad propriam vitam, iuxta diversa rerum adiuncta supervenientia, aliter aptandam.

Hac forma, Sancta Ecclesia, re vera « Provida Mater Ecclesia », provide offert possibilitatem vitam perfectionis assequendi tot tantisque animabus, aliam completiorem vocationem non habentibus, vel diversis de causis quominus hanc completiorem vocationem sequi valeant impeditis; sicque existunt plures viri et mulieres, quae uti membra lato sensu Institutorum Saecularium Deum fortiter prosequuntur, efficacem apostolatam in mundo exercent, et alias animas — in primis illas propriae familiae —, quotidiano contactu sanctificant.

5. Institutio.

1. Ut omnes sanctitatis et apostolatus fructus, quos a membris Institutorum Saecularium Ecclesia iure spectat, dari valeant, necesse est ut omnes et singuli sodales accuratam formationem recipiant, mundi propriique apostolatus adiunctis valde consonam et adaequatam. Nemo est qui non videat quomodo huiusmodi institutio, tum ascetica, ad assequendam nempe perfectionem, cum technica, ad peculiarem actionem apostolatus penetrationis exercendam, non ita facile impertiri queat ut illa alia, quae in domibus ad hoc praeparatis et destinatis, atque mediante congrua separatione a rebus omnibus saeculi religiosi instituendis datur. Saepe, ob logicas discretionis causas, adhuc difficilior illa evadit formatio.

Sed de hoc, ea omnia dici possunt quae de praxi consiliorum evangelicorum in medio mundo dicuntur. Erant, et quidem non pauci, qui, ante Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia » promulgationem assererent illam formationem atque hoc exercitium christianae perfectionis, si vera et materialis separatio a rebus huius saeculi non existeret, si habitus religiosus non deferretur, etc., ita difficilia evadere, ut reapse qua impossibilia considerata essent, quasi utopia aliqua a mentibus omnino et solummodo theoreticis excogitata.

Sed qui ita dicebant, oblivioni dabant magisterium historiae Ecclesiae, et quasi ad nihilum reducebant potentiam infinitam divinae Providentiae.

Et dico « magisterium historiae Ecclesiae », quia a primis ipsius originibus extiterunt, et pro Dei gloria propriaque sanctificatione operabantur, ascetae illi ac virgines plurimae, Deo omnino consecrati ac consecratae, aliquando veras communitates animarum sacrarum, etsi in mundo commorantium, constituentes. Et, ex tunc, numquam in mundo, in saeculo, deerunt animae quae, totis viribus, christianam perfectionem professae sint. Qua de causa, ergo si plurimae animae a Deo vocatae singillatim, cum aliis proinde non coniunctae ut facilius earum propositum ad praxim deducerentur, ita sancta et apostolica ratione vixerunt, qua de causa esse non posset aliquid verum, immo et facile, ut animae illae a Deo quidem vocatae, cum subsidio communium regularum, intime sentita sanctorum communione, a fratribus etiam Deo sacris constanter adiutae, sanctitatem in mundo colant eamque adipiscantur?

Oblivioni nullo modo est tradenda denique veritas haec: si Deus promovet animas ut in mundo vivant, licet non sint de mundo, atque ut in ipso perfectionem assequantur et apostolatum optime mundi necessitatibus respondentem exercent, evidens est Deum illas animas sic vocantem, illis ea omnia cum vocatione pariter reddere debere, quae necessaria sunt ut operarii digni et efficaces, iuxta Dei voluntatem, efficiantur.

Operarii qui « de mundo non sunt, sicut et Ego non sum de mundo » dixit Christus: et hoc verum est, quia tribus con-

cupiscentiis, vinculo stabili et in conscientia obliganti, abrenuntiant: sed Iesus dixit etiam: « sicut Tu me misisti in mundum, et Ego misi eos in mundum ». Qua de causa, igitur, si Iesus misit eos in mundum, voluntas Dei, eorum nempe sanctificatio, incassum cedere deberet?

Propterea, animae illae, viri aut mulieres sint, a Iesu « missae in mundum », in quo nihil et neminem formidant, quia secum habent Iesum, qui eas sic mittere voluit, procul dubio sanctitatem assequi valent, quin obstacula mundi eis unquam divinam viam claudere possint.

Ubi Deus aliquem ad Ordinem quemlibet vel Congregationem religiosam vocat, dat illi gratiam ut in ipsa, non in alia Congregatione, sanctus evadat: quod etiam dici potest et debet, cum Deus aliquem vocat ut in Instituto quolibet Saeculari, et proinde, ad normam Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », in saeculo, sanctificetur.

Et sic, his positis et ita contemplatis, amplius difficile non videtur sodales Institutorum Saecularium in saeculo institui ac formari posse, quia ut fundamentum solidum vitae omnis sodalium Institutorum Saecularium, super quod possibilitas formationis, sanctificationis, apostolatus consistit, est gratia specifica a Deo vocante concessa.

2. Sed praeter rationes theologicas hucusque dictas, plurimae aliae mere humanae existunt, cautelae, industriae, agendi modus in Constitutionibus uniuscuiusque Instituti Saecularis descriptae, quae faciliorem reddunt actum formationem impertiendi et, postea, possibilitatem vitam perfectionis colendi.

De iis, aliqua iam diximus cum loquebamur v. gr. de paupertate. Concrete, nunc, quoad rationem formationis, quae diversa apparet iuxta Institutorum circumstantias, hoc non est praetermittendum, scilicet: in § 4, Articuli III Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia » praescribuntur sedes communes, in quibus, praeter alia, « commorari vel ad quas convenire queant sodales ad institutionem accipiendam et complendam, ad exercitia spiritualia peragenda, et ad alia huiusmodi ».

His in domibus, igitur, commorari possunt et, in aliquibus casibus, ibi vitam ducere debent membra Institutorum Saecularium. Licet Instituta, iure communi, non obligentur quatenus vitam communem omnibus suis membris imponant — etiam si de sodalibus stricto sensu agatur —, tamen, iure particulari possunt in Constitutionibus praescribere ipsam vitam communem sive Superioribus omnibus; sive Superioribus tantum qui regimen generale Instituti habent, illisve etiam regiminis intermedii; sive denique valent eam communem vitam pro sodalibus universis vel pro aliquibus solummodo statuere, ratione ministeriorum apostolatus, institutionis causa, ob infirmam valetudinem, ad spiritualem salutem melius tuendam, etc. Iuxta iurisprudentiam Sacrae Congregationis de Religiosis, in genere Superioribus conceditur facultas ut ipsi possint sodales ad vitam communem ducendum vocare, ad normam Constitutio-

num, potissimum ut formationem impensiolem accipiant eamve iam acquisitam fortificent, aut servant.

3. In aliquibus Institutis duplex existit membrorum ratio seu classis, *internorum* nempe et *externorum*. Prima observat vitam communem, semper ad normam Constitutionum, et propterea numquam canonicam. In altera vero, sodales vitam communem non ducunt, etsi, prout diximus, Superiores, iuxta Constitutionum praescripta, valeant illos ad eam vocare ipsamve et concedere.

Et, hoc in casu, qui vocatus fuit ad vitam communem non transit, ipso facto, ad primam membrorum classem, seu classem internam. Quando tamen haec classis interna non habetur, in cuius domibus etiam ceteri sodales aliquando — in formationis periodis, v. gr. — vitam communem agere queant, tunc a Lege peculiari Institutorum Saecularium imponitur obligatio sedes seu communes domos habendi. Et ad eas, Superiores praecipue et sodales instituendi convenire possunt, atque in eis ipsi residere valent, prout suaviter in Constitutione Apostolica quasi imponitur. Sedes huiusmodi, sive classis internorum, sive regiminis et coadunationum, magnopere adiuvant ad formationem impertiendam pro qua necessariae considerandae sunt.

4. Ex regula, Instituta Saecularia hucusque a Sancta Sede probata, vel quibus venia pro erectione dioecesana concessa fuit, statuunt periodos in quibus, iuxta rerum adiuncta, sive singulis hebdomadibus, sive maiore vel minore frequentia, sodales omnes classis externae ad domos Instituti convenire debeant pro formatione accipienda et gradatim complenda. In aliis autem, formationem sodales accipere debent per integrum annum, vel per duos aut etiam tres annos, vitam communem eo tempore pariter ducendo in domibus Instituti. Alia, denique, imponunt obligationem frequenter dies spiritualis recessus faciendi, quibus sodales utuntur non solum ad recessus huiusmodi simpliciter peragendos, sed etiam ad formationem specificam, quam socii iam acceperint, facilius prosequendam altiolemque reddendam.

Et in Institutis omnibus maximum momentum habet munus illius, cui cura est de formatione sodalium, praesertim eo quod formatio, potissimum in Institutis Saecularibus, est actio non collectiva sed personali ratione impertienda, prout singulorum rerum adiuncta, circumstantiae familiae seu laboris in quibus versentur, etc., suadere videantur: praesertim etiam quia, ut optime Rev. mus P. Gabriel a Sancta M. Magdalena hodie dixit, membra Institutorum Saecularium omnia vitam mixtam, contemplativam-activam, ducere deberent. Conditor Instituti, ad quod Dei gratia pertineo, asserere solitus est neminem in Instituto nostro perseverare posse, nisi animam vere contemplativam habeat.

6. Regimen.

1. Ex dictis iam patent discrimina inter Instituta Saecularia et Religiones atque communes fidelium Associationes intercedentia, et peculiaris ratio vinculi iuridici quod membra omnia uniuscuiusque Instituti Saecularis ligat, quodque necessario fundamentum solidum est ordinis interni singulorum Institutorum. Perspiciuntur pariter diversae vivendi rationes, praesertim quoad vitam communem vel ipsius carentiam: intelligi ergo potest Institutorum ordinationem iuridicam ita aptandam et construendam esse ut in ipsa non solum possibile, sed etiam facile christiana perfectio, ad quam praefatum vinculum tendit, sit adipiscenda.

2. Regimen internum Institutorum Saecularium, iuxta Articulum IX Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », hierarchice ad instar regiminis Religionum et Societatum vitae communis ordinari potest.

Instituta, propterea, in eo longe distant a Piis Unionibus aliisque communium fidelium associationibus, quae habere tantum valent hierarchiam dioecesanam, Ordinario loci plene subiectam. In Institutis, e contra, existere potest hierarchia centralis extradioecesana, quae verum regimen constituat, atque de Institutis singulis corpus aliquod organicum efficiat. Hoc regimen ordinari potest ad instar regiminis communium Congregationum; vel ad modum Congregationum monasticarum, etc. Habere etiam valent Instituta Saecularia regimen locale, dioecesanum, dummodo ad normam praxis Sacrae Congregationis, Instituta similia perfecte in seipsis habeant characterem universalem Ecclesiae.

3. Speciali ratione subnotanda est forma regiminis illa, nuper recensita, Congregationum monasticarum, seu foederativa, a Motu proprio « Primo feliciter » contemplata. Peculiare momentum habet cum de Institutis pro sacerdotibus saecularibus dioecesanis agitur. Hac forma, vel aliis similibus, status iuridicus et completus perfectionis extendi potest etiam ad sacerdotes clero dioecesano adscriptos, quando ii sacerdotes, iuxta normas Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », se consecrent ad hanc vitam perfectionis acquirendae in aliquo Instituto Saeculari, quin ea de causa eorum dioecesana condicio ullo modo afficiatur, sed diversis capitibus confirmetur.

7. Institutorum varietas iuxta varietatem finis specialis.

Magna opportunitas Constitutionis Apostolicae « Provida Mater Ecclesia », clarissime manifestatur ex incredibili numero petitionum ad Sanctam Sedem missarum, ad obtinendam approbationem pontificiam, aut praeivium « nihil obstat » a Sacra Congregatione de Religiosis ut erectio in propria dioecesi originis fieri valeat.

Prout vobis certissime patet, iam quasi ab initio huius saeculi apparuerunt, eodem fere tempore in diversis nationibus, plures Associationes cum omnibus, aut quasi omnibus notis expositis in Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia », ita ut nullum dubium remanere potuerit, quod de phaenomeno vere novo simul ac forti ageretur. Hac ratione, id quod antea non erat nisi casus specialis (uti Associatio « Notre Dame du Travail » nuncupata), nunc fiebat, ex virtute Spiritus Sancti, res prorsus universalis. Ideo, haud difficile erit factum intelligere, quod nempe quando promulgata fuit Constitutio « Provida Mater Ecclesia », et in sinu Sacrae Congregationis de Religiosis constituta Commissio specialis pro applicatione ipsius Apostolicae Constitutionis et approbatione Institutorum Saecularium, plures Associationes a Sancta Sede petierunt ut ab ipsa agnoscerentur, et approbarentur qua Instituta Saecularia, ita ut immediate necesse fuerit intra Sacram Congregationem de Religiosis creare specialem Sectionem, « Instituta Saecularia » nuncupatam.

Ad diem 2 Februarii 1948, primo elapso anno a promulgata Apostolica Constitutione « Provida Mater Ecclesia », iam 46 Associationes hunc in finem libellos suos Sacrae Congregationi porrexerant, a laudata speciali Sectione nunc iam examinatos. Numerus revera extraordinarius virorum ac mulierum his Associationibus nomen dederat: qui numerus, ob perspicuas rationes, patefieri non debet, sed qui plures atque pluries est millenarius.

Anno autem sequenti numerus Associationum erat 83, ex quibus 19 viris compositae, quarum novem clericales.

Mense Octobris anni 1949, numerus petitionum pervenerat usque ad 97.

Nunc temporis, scilicet mense Novembri anni 1950, iam 113 Associationes huiusmodi numerantur.

Associationes istae — ex quibus solummodo 30 hucusque, qua Instituta Saecularia, approbata sunt —, apparuerunt in 18 diversis nationibus ex Europa et America, scilicet in Argentina (1 Associatio), Austria (6), Belgio (3), Canada (1), Columbia (2), Gallia (14), Germania (8), Helvetia (2), Hungaria (2), Hispania (17), Illyria (1), Italia (53), Mexico (4), Neerlandia (1), Polonia (1), Rumania (1), Statibus Foederatis Americae Septentrionalis (1), Uruguay (1). Postea, diversae ex praefatis Associationibus, ex quibus, prout diximus, 30 sunt iam Instituta Saecularia, per alias orbis partes propagatae sunt. Sic « Opus Dei », e. gr., membra habet in quattuor diversis continentibus.

Omnes 113 laudatae Associationes, praeter quinque, ortum habuerunt post primum decennium huius saeculi: 12 pendebant a Sacra Congregatione Concilii; aliae, a respectivis Ordinariis locorum uti *Piae Uniones* erectae fuerant, vel qua Associationes *de facto* propriam ducebant vitam.

Fines specifici ab ipsis intenti valde diversi sunt. Et non solum fines sequuntur proprios et « exclusivos », ut ita dicam, Institutorum Saecularium — eo quod Institutorum membra, ut in Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia » declaratur, exercere valent opera et adire possunt ad loca religiosi vetita vel impervia —, sed etiam omnes fines específicos et « classicos » Congregationum Religiosarum, veluti Assistantiam socialem, educationem, ministerium verbi, missiones, immo et Adorationem SS.mi Sacramenti, reparationem, etc. Hi omnes fines ab his Institutis recepti propriique facti, indesinenter ac strenua ratione in praxim feruntur.

Principales autem fines specifici sic distribui possunt:

1) *Apostolatus penetrationis sive socialis, sive intellectualis, sive ope amicitiae*, etc., in civili societate, ita ut spiritus Christi ingrediatur in publicas omnes actiones et in munera omnia, sive haec sint Statuum civilium, sive eorum non sint: sed, praesertim, in ministeria seu actiones aconfessionales, eo quod agitur de apostolatu penetrationis seu primae aciei (vulgo « *avant-garde* »); et, hoc sensu, clarum habetur exemplum in Instituto « *Opus Dei* », ut postea videbimus;

2) *Apostolatus in societate civili, praesertim in Associationibus catholicis iam existentibus*, quibus maior vigor infundendum est, aliquando etiam sub « *spiritu* » aliquo determinato, carmelitico, franciscano, etc., v. gr. in opere « *Missionarie della Regalità di N.S.G.C.* »;

3) *Apostolatus dioecesanus et paroecialis*, in Institutis etiam speciali vinculo unitis cum Ordinariis locorum relate ad ea omnia, quae apostolatum respiciunt externum, non autem quoad internum regimen (nisi agatur de Institutis typi foederativi, speciatim pro sacerdotibus clero dioecesano addictis), neque quoad sodalium formationem;

4) *Apostolatus sic dictus specializationis*, v. gr. a) educationis in scholis Status aut privatis, catechesis, foliis edendis, etc.; b) caritatis in nosocomiis, orphanatophiis, assistentiae infirmorum, domorum maternitatis, etc.; c) diffusionis doctrinae catholicae per folia typis data (stampata), per sermonem et conferentias, per artem praecipue sacram, etc.; d) propagationis cultus SS.mi Sacramenti, Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, etc.; e) missionalis operis vel f) socialis, sicut formatio operariorum christianorum, etc.

Instituta Saecularia hodie existentia sunt, prout diximus, 30. Ceterae Associationes, de quibus nuper sermo (numero 113), sunt adhuc Associationes tantum fidelium, eo quod necdum receperunt adprobationem pontificiam nec licentiam a Sancta Sede ad earum erectionem dioecesanam. Ex illis 30, unum tantum adprobationem definitivam obtinuit, nempe, « *Opus Dei* »; quinque sunt iuris pontificii, scilicet, praefatum « *Opus Dei* », « *Missionarie della Regalità di N. S. G. C.* », « *Institutum de Notre Dame du Travail* », « *Compagnia di S. Paolo* » et « *Filiae Reginae Apostolorum* »; reliqua vero sunt iuris dioecesani.

Vellem de Institutis Saecularibus hucusque probatis aliqua dicere: sed tempus iam deficit mihi que finiendum est. Cogito tamen ex dictis plene patere tum momentum apostolatus Institutorum Saecularium, cum necessitatem enixas preces ad Deum fundendi ut hi sanctitatis et apostolatus fructus, quos Ecclesia ab eis iure meritoque exspectat, obtineri semper pergant, atque ut in dies magis magisque Saecularia Instituta, omnium orationibus, efficaciora reddi valeant.